
SIGILLUM MATRIS PROVINCIÆ BÆTICÆ
LUDOVICO SUO TOLOSANO
CAPITULUM GENERAL
Et super capita columnarum opus in modum lilij posuit: perfectumq́ est opus columnarum. Reg. 3. cp. 7. v. 22.
PLUS ULTRA
S. Franciscus Solano Prov. Bœtic. Fil.
S. Didacus Prov. Bæticæ Alumnus
CANARIA
Stemma Provinciæ
Prov. Bœtic. pro Capit. Gen. Vallisolet. 174
BÆTICA
HISPANIA

*EX OMNIBUS FLORIBUS*
*orbis elegisti tibi lilium unum.*
Esdræ 4. cap. 5.

LILIO UNO ELECTO EX OMNIBUS
ORBIS SERAPHICI FLORIBUS
JUCUNDATUR MINORUM
RELIGIO.

# S. LUDOVICO,

EPISCOPO TOLOSANO,
EXULTANT II, QUI COMMUNTANTUR
IN DIE LÆTITIÆ CORDIS EORUM.

VERE LILIUM
CANDORE SPLENDENS, AUREO
FLOSCULO RUBENS, CUJUS PRETIUM
INTUS, ET FORIS:
AUREIS FLAGRAT INTUS CHARITATIS
FLAMMIS:
CANDET FORIS PURITATE VITÆ,
CANDIDUS SIMUL, ET RUBICUNDUS.

NULLI FLORUM EXCELSITAS MAJOR,
QUAMVIS LANGUIDO SEMPER COLLO:
UNDE EXCELSITAS HUMILIS,
ET EXCELSA HUMILITAS;
EX MAGNO FACTUS *MINOR*,
EVASIT MAXIMUS, *MAJOR*
IN REGNO CÆLORUM.

## VERE UNUS

PRO OMNIBUS, SINGULORUM VIRTUTES SINGULARIS VITÆ EXCELLENTIA refert: quatuor facies uni, quatuor pennæ uni Hominis mititas, Leonis fortitudo, Bobis labor, Aquilæ sublimitas; Nobilitas Generis, perfectio status, Præsulatus Dignitas, animarum denique zelus: Aliorum propria fecit sibi, & aliis Ludovicus communia, omnia in uno: unde similis factus in gloria Sanctorum non est inventus similis illi.

## VERE ELECTUS

EX MILLIBUS, EX OMNIBUS; ELEGIT EUM DOMINUS SACERDOTEM SIBI, JUVENEM tenerum, ut erudiret populum suum, & senes ejus prudentiam doceret.

## ELECTUS

ARCHI-PRÆSULI, NOBIS, OMNIBUS: IN JUBILUM, IN GLORIAM, IN EXEMPLAR. IN EXEMPLAR PRINCIPI FRATRUM suorum, ut quasi lilium floreat, miro resplendeat fulgore virtutum. In gloriam nobis; non enim perfectum opus Columnarum, nisi opere lilii earum capitibus superposito. In jubilum omnibus; nam hoc fœcunditatis emblemate Israel, domus Jacob, Minorum familia crescet, florebit, germinabit quasi lilium: in die solemnitatis, commutationis, uncti præ Participibus, præ Sodalibus suis, manibus damus lilia plenis; dicamus opera, loquimur lilia, eructamus verbum: *Intende, prosperè procède, & regna.*

# DOMVS SAPIENTIÆ ORDINIS MINORVM.

*Sapientia ædificavit sibi Domum, excidit Columnas septem. (Prov. 9.)* Dolavit, polivit, erexit, atque stabilivit, quasi bases domus sapientiæ Columnas septem, suggesta, altas Cathedras, Scholas septem. Sapientissimus ille Salomon in Arce Montis Sion ædificavit, erexit Academiam septemplici innixam columna, septena structam Schola, totidemque perpolitam Cathedra, quæ tunc apud Hæbreos effulsit, & Israeliticum Populum nitidis sapientiæ collustravit fulgoribus: Gaudet nunc, *quæ peperit plurimos, quæ peperit septem*, Sapientissima Minorum Religio ædificata sibi Sapientiæ Domo, erecta, stabilita, innixa Columnis septem, Cathedris, celeberrimis septem Scholis, nempè, Seraphica, Irrefragabili, Subtili, Nominali, Facunda, Lulliana, ac Expositiva, quibus Franciscanæ Sapientiæ Domus nobilitatur simul, ac fulcitur. Adamus præluxerat Parens (*Meth. in Genes.*) septem columnas erigens in ipsis liberales Artes, & Scientias subtili scalpto effinxit suæ Posteritati hoc perenne relinquens paradigma: filii Seth (*P. Pined. in Job cap. 19.*) ad posteritatem disciplinarum, tum naturalium, tum Theologiæ, & fidem unius mediatoris duas erexerunt Columnas. Ecce in binis filiorum Columnis, quæ in septenis Parentis: Vide *Plus ultra*, in duabus Bæticis Franciscanas septem: Parentum magnalia, victorias, trophæa, nobilitatis insignia, stemmata, Doctrinam, & veritatem, *& non plus ultra.*

*** *** ***

CO-

# COLUMNA I.

## SERAPHICA SCHOLA.

PRIMAM hanc dignitate, non tempore Scholam erexit Sanctus Bonaventura Orbis splendor, Ecclesiæ Cherub, Cæli candor, Doctor verè Seraphicus, utpotè illuminans, & inflammans:ea namque (*Sixt.IV.*) de Divinis rebus scripsit,ut in eo Spiritus Sanctus loquutus videatur: illuminatus enim ab eo qui illuminat omnem sensum, paucorum annorum spatio incredibilem est scientiam consequutus, nec talentum sibi à Domino creditum sudario alligavit, aut terræ infodit, sed ut Sapientissimus Dispensator in communem utilitatem convertit. In celebri enim Parisiensi Gymnasio, Cathedram rexit, ubi abscondita scripturarum enucleans,nondum viva voce profuit multis, sed etiam plurima librorum optimorum (300. *ferè*) tum in sacris litteris, tum in majoribus scientiis monumenta reliquit, quæ essent omni tempore postremis profutura. Hic *S. Doct.* 1. *dist.* 40. *art.* 2. *quæst.* 1. §. *Resp.* Tutissimum parat modum concordiæ libertatis nostræ cum infrustrabilitate decreti Divini per scientiam mediam, quam in Sancti Doctoris textu agnoscimus, & defendimus.

COLUM-

# COLUMNA II.

## IRREFRAGABILIS SCHOLA.

HANC antiquiorem Thomisticæ, & Scoticæ mundus agnoscit: illam Alensis re, & nomine Alexander fundavit: in Scholasticis Artibus, (*Sixtus Senensis*) & in cognitione Divinarum scientiarum tantum nominis,& gloriæ consequutus est, ut ab eruditissimis sui temporis fons vitæ appellari meruerit: summam (*S. Antonin.*) Theologiæ edidit copiosam, pro veritate ejus doctrinæ dicitur Doctor irrefragabilis: hoc sibi (*Marrac.*) apud peritissimos quosque conciliavit insigne, ut Doctor Doctorum, ac fons vitæ censeretur, & appellaretur. Hic decus,(*Epitaph.*) & flos Philosophorum, norma modernorum, fons veri, lux aliorum, inclytus Anglorum Archilevita, frater Collega Minorum factus egenorum, fit primus Doctor eorum. Summa Theologiæ ab ipso, jussu Innocent. IV. concinnata, à LXX Doctoribus Parisiensibus approbata, tandem ab Alexandro IV. commendata omnibus Academiis ad docendum creditur, & donatur. (*part. 1. quæst. 28. memb. 2. artic. 2. & memb. 3. artic. 1. & 3.*) Docet, quod prædestinatio non solum dicit voluntatem Dei, sed voluntatem cum præscientia, quod benè sunt usuri dono suo; ac proinde cum ipso prædestinationem adultorum ad gloriam post merita prævisa in gratia fundata, asserimus.

* * *

COLUM-

## COLUMNA III.

### *SCHOLA SUBTILIS.*

ISTAM in Ordine Minorum, Discipulorum multitudine præcipuam V. Joannes Duns Scotus Doct. Subtilis feliciter inchoavit, firmissimè stabilivit; hæc Augustiniana prorsus, & qua profunda, & qua nervosa. In quatuor Scoti (*Petrus de Camp.*) sententiarum libris 815. ex Augustino inveniuntur sententiæ, ut qui optaret Augustinum videre, videat Scotum: Subtilitatis Spiritum (*Cornel. Alapid.*) in speculativis Sapientia præ aliis communicavit Joanni Scoto Ordinis Sancti Francisci, qui illum ut suum in Theologia, & Philosophia Magistrum colit, & sequitur; unde vulgò vocatur Doctor Subtilis. Immaculatæ Virginis puritatem asseruit: Gratiam (*Maced.*) pro gratia retulit Virgo inclinato marmoreo capite: de puritate doctrinæ Tribunal fidei pronuntiavit: quidquid constaret dixisse Scotum, in offenso pede (*quod de Hilarii libris Hieronymus Epist. ad Lætam*) legendum. Unde meritò quidam: immunem maculæ Scotus vult esse Mariam: immunem erroris Sancta Maria Scotum. Militat pro gratia contra Hæresim Pelagianam variis in locis, præsertim 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. §. *De secundo articulo*; & 2. *dist.* 28. *quæst. unic.* ℣. *Contra*; stat etiam frequentissimè pro libertate creata, ut in 1. *dist.* 17. *quæst.* 3. §. *Sed tunc*, & alibi: & 4. *dist.* 49. §. *Contra secundam opinionem.* ℣. *Sic dico* concludit, quod nunquam causa secunda præventa à causa superiori agente ad unum oppositum, potest potentia propinqua exire in aliud oppositum. Quapropter gratiam ab intrinseco efficacem physicè prædeterminativam in via Doct. Subt. non admittimus.

CO-

# COLUMNA IV.
## *NOMINALIS SCHOLA.*

UNUS ex Discipulis Doctoris Subtilis fuit Ochamus, vitæ integritate (*Cornej.*) candidus, fervore charitatis rubicundus, venerabilis Inceptor (*Bibliot.*) & Doctor singularis appellatus, Nominalium Princeps, illorum Scholam stabilivit, atque perfecit. Scripsit multa, & aliquando retractavit benè, quæ scripserat male. Bulla Clementis VI. (*anno* 8.) manet Ochamus ab Adversariorum technis immunis. Pro immunitate satis; pro elogio alter (*Caram.*) putaret aliquis Herculem Philosophicum ad finem venisse, erexisse Columnas, & inscripsisse *Non plus ultra*; at Ochamus ingeniorum miraculum ibidem dixit, & inscripsit, *Plus ultra.* Parco naturæ genio studuit: realitates, & formalitates internas ferè sustulit, & ad connotata recurrens novam Scholam instituit, quam hodie nominalium vocamus. Et novissimè eruditus Author (*P. Lossad.*) Ochamo adaptavit illud Virgilii: non illi quisquam se impune tulisse obvius armato, seu cum pedes iret in hostem, seu spumantis equi foderet calcaribus armos. Distinctionem formalem ex natura rei Magistri sui acriter impugnat, eam tamen, licet aliter explicatam, admittit inter Essentiam Divinam, & Relationes *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 11. non verò inter prædicata Divina absoluta *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 1. ejus vestigiis inhæremus.

*** *** ***

CO-

# COLUMNA V.
## *FACUNDA SCHOLA.*

PETRUS Aureolus Minorita, Archiepiscopus Aquensis, S. R. E. Cardinalis (*Gonzaga*) Doctor facundus appellatus, Theologus acutissimus, in Theologia Scholastica ingeniosissimus Scriptor, (*Cardin. Sarnan.*) Ordinis Minorum singulare ornamentum: omnium scientiarum peritia clarissimus, & singularis (*Sixtus Senens.*) ad summam usque admirationem Concionator. Novit vias omnes scribendi, ut omnibus esset via, & quæ excogitavit in usum, reduxit in praxim: loquebatur ad aures verbis, & oculos invitabat gestis; persuadebat auditus, convincebat visus, quæ tradebat voce, confirmabat manu; respondebant dictis facta, & opera partes erant doctrinæ. Doct. Subt. Discipulus non juravit in verba Magistri, ideò Scoti Antagonista factus, gloriæ illius emulus assilsit. Ad commentaria super sententias sero accessit, sed ita serio perfecit, ut propriam Scholam facundam, foecundam pariter fundaverit; nam Schola hæc Doct. facundi omnia fert, licet non omnis ferat omnia tellus. *In 1. dist.* 19. de circumsessione, perfectione, & æqualitate trium Divinarum Personarum sedulò agit, & *part.* 2. *art.* 3. §. *Secunda verò propositio* resolvit: quod relationes personales sunt formaliter infinitæ, quamvis non sint perfectiones simpliciter. Ipsoque Duce tuemur.

***

COLUM-

# COLUMNA VI.
## LVLLIANA SCHOLA.

DOctor illuminatus Raymundus Lullius Martyr Christi clarissimus, novus homo, (*Parisiens.*) nova scientia ditatus, Doctor venerabilis,& in suis artibus approbatus: Organum Spiritus Sancti (*Philippus Pulcher*) divinitùs illuminatus, Magnus Magister in Philosophia, ac Theologia, (*Reg. Cathol.*) Authorque Artium, & Scientiarum mirabilium clarus (*Hispan.*) mundi Radius; Thesaurus absconditus, (*Nicol.Causin.*) ab æmulis exagitatus, à superbis lacessitus, condemnatus ab ignaris, & imperitis; sed magnus Dei Servus: Vir pius, & doctus, atque Divino plenus amore, & cælesti prorsus scientia imbutus; strenuus Christi Athleta (*Marzal.*) Majoricarum Regni Protector, Franciscani Sodalitii jubar, Doctorum Choragus, Scriptorum suffes, & suæ Lullianæ Scholæ Inceptor,& Antesignanus; multa scripsit in Theologia, & cæteris scientiis, 438. voluminibus, quibus Academiam suam fundavit, erexit, atque perfecit. Nonnulli hujus Doctoris aliquas propositiones, & sententias graviter hæreseos notarunt; at examinata ipsius Doctrina semel, atque iterum, tum tempore Joannis Aragoniæ Regis anno 1383. tum jussu Martini V. anno 1419. tum tandem jussu Concilii Tridentini anno 1563. ab omni nota, & censura omninò libera reperta est. Quod in laudem tanti Doctoris, & ipsius venerab. Scholæ defendimus.

* * * * *   * * * * *

COLUM-

## .COLUMNA VII.

## EXPOSITIVA SCHOLA.

Nicolaus de Lyra, Sac. Theologiæ universalis Doctor, cujus vitæ, & doctrinæ (*Epitaph.*) fama diffusa est per diversa mundi climata; Theologus eminentissimus, (*Bergom.*) & celeberrimus: nec minùs conversatione, quàm (*Tritem.*) scientiâ venerandus: eximius (*apud Arthur.*) planus, & utilis: Vir eruditus (*Annal.*) & pius; in lingua Hæbraica, simul & Latina peritus inter illius temporis Modernos, qui in Sacræ Scripturæ expositione insudarũt, universalior, & præclarior repertus (*Matth. Toring.*) cujus spiritum tanquam pueri junioris de Minorũ Fratrum Ordine Deus illustrando misericorditer suscitavit, sic suscitatus, quod sine fictione didicit, sine invidia communicavit, & tanquã Sapientibus, & Insipiẽtibus, Magnis & Parvulis debitor effectus, satisfacere cupiens, opus egregium composuit, & in Ecclesiæ Sanctæ gazophylatiũ Pauper professione, cum vidua paupercula studere volentibus profuturum obtulit, & hoc ipsum opus suum *Postillam* nuncupare decrevit: Glossam, scilicèt, litteralẽ, ordine quidem tertiam, felicitate tamen primam, & facilitate nulli secundam; Moralem addidit alterã non dissimilem primæ. In harum prologis docet, quod in Scriptura Sacra eadem littera aliquandò habet duplicem sensum litteralem; & quod licèt Scriptura Sacra quadruplicem habeat sensum, non tamen in qualibet sui parte; nam alicubi habet tantum sensum litteralẽ, alicubi verò non habet sensũ litteralem propriè loquendo. Pro cujus doctrina stamus.

*In celeberrimo S. P. N Francisci Vallisoletano Cœnobio, die* 4. *Junii anni Domini* 1740. Vesperè.



